

# IN ANNUNTIATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

**S. ANTONII PATAVINI, O.Min.  
DOCTORIS EVANGELICI**

## Themata sennonis

### *Quasi sol refulgens.*

In eodem de natura et castitate elephantis.

Item contra luxuriam, ibi: *Perdam Babylonis nomen.*

In eodem dicitur qua de causa frondes vel folia cadant ab arbore, et de quattuor coloribus qui sunt in arcu caelesti.

*Ero quasi ros.*

In eodem dicitur de lana ovis et de natura butyri et casei.

Item in eodem sermo de eodem, ibi: *Ecce spiritus grandis.*

In eodem dicitur de natura roris et proprietate lillii.

*Quasi flos rosarum in diebus vernis.*

In eodem thema ad praelatos Ecclesiae, ibi: *Invenietis infantem.*

In eodem invenies quare in Nativitate Domini cantantur tres missae, et de proprietate lillii et ipsius significatione.

## Exordium

1. *Quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae etc. (Eccli 50, 7-8)*

Dicit Ecclesiasticus: *Vas admirabile opus Excelsi (Eccli 43, 2)*. Beata Maria dicitur vas, quia thalamus Filii

Dei, speciale hospitium Spiritus Sancti, triclinium Sanctae Trinitatis. Unde dicit in Ecclesiastico: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo (Eccli 24, 12)*. Hoc vas fuit *admirabile opus Excelsi*, Filii Dei, qui eam prae cunctis mortalibus pulchriorem, prae cunctis sanctis sanctiorem fecit, in qua ipse factus est. *Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis (Io 1, 14)*. De quo admirabili opere dicitur in tertio libro Regum, quod Salomon sculpsit in ostiis templi cherubim et palmarum species et anaglypha (Cf. 3 Reg 6, 32). Porta caeli, ianua paradisi est beata Maria, in qua verus Salomon sculpsit *cherubim*, in quibus vita angelica et plenitudo caritatis; et *palmarum species*, in quibus de inimico victoria, perseverantiae viriditas, contemplationis sublimitas; et *anaglypha*, quae sunt caelaturae eminentes, in quibus humilitas et virginitas designantur. Haec omnia in beata Virgine fuerunt sculpta manu Sapientiae. Bene ergo de ea dicitur: *Quasi sol refulgens* etc.

## I - De virtutibus et praerogativis beatae Mariae Virginis

2. Nota quod, beata Maria fuit quasi sol refulgens in Angeli Annuntiatione, quasi arcus effulgens in Filii Dei Conceptione, quasi rosa et lilium in ipsius Nativitate. In sole sunt tria, scilicet splendor, candor et calor, quae tribus Gabrielis verborum clausulis respondent. Prima: *Ave, gratia plena*; secunda: *Ne timeas*; tertia: *Spiritus Sanctus superveniet in te*.

Cum dicit: *Ave, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus (Lc 1, 28)*, ecce solis splendor. Potest hoc referri ad quattuor virtutes, quarum singulas invenis in Maria tripliciter emicuisse. Ex temperantia siquidem habuit prudentiam carnis, modestiam sermonis, humilitatem cordis. Prudentiam habuit, cum siluit turbata, intellexit audita, respondit ad proposita. Iustitiam habuit, cum tribuit quibuscumque quod suum erat. Morem enim

gessit duri corde in sua desponsatione, in Filii circumcissione, in legali purificatione. Compassionem afflictis exhibuit, cum ait: *Vinum non habent (Io 2, 3)*. Communionem sanctis, cum erat in oratione cum apostolis et mulieribus perseverans (Cf. Act 1, 14). Ex fortitudine vel magnitudine propositum virginitatis assumpsit, tenuit, tam immensae rei fidem exhibuit.

BERNARDUS duodecim stellas in corona mulieris, ut dicitur in Apocalypsi, duodecim praerogativas in Virgine dicit: quattuor praerogativas caeli, quattuor carnis, quattuor cordis fluxerunt quasi stellae de caelo. [Praerogativae caeli fuerunt]: Mariae generatio, angelica salutatio, Spiritus Sancti superventio, Filii Dei inenarrabilis conceptio. Praerogativae carnis fuerunt, quia virginitatis primiceria, sine corruptione fecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Praerogativae cordis fuerunt: devotio humilitatis, mansuetudo pudoris, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis, quo ipsius animam gladius pertransivit (Cf. Lc 2, 35). Ad praerogativas caeli referri potest quod dicitur: *Dominus tecum*; ad praerogativas carnis: *Benedicta tu in mulieribus*; ad eas quae cordis, quod dicitur: *Gratia plena*.

3. Item, cum dicit: *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum* etc. (Lc 1,31), ecce solis candor. Quomodo candorem lucis aeternae, speculum sine macula concipere posset nisi candida foret? Unde de ipsius candore dicit Filius in Canticis: *Venter tuus eburneus distinctus sapphiris (Cant 5, 14)*. Ebur, os elephantis, est candidum et frigidum, in quo duplex munditia designatur: in candore mentis, in frigiditate corporis; quae duo fuerunt in thalamo gloriosae Virginis. Dicitur in NATURALIBUS, quod elephas est domesticior et obedientior omnibus animalibus agrestibus, et recipit bene instructionem et intelligit, et propter hoc instruitur adorare regem, et habet bonum sensum. Et fugit maxime

odorem muris, qui, ut quidam dicunt, de humore terrae nascitur. Nam mus, terra, unde et humus appellatur. In hoc loco elephas beatam Virginem significat, quae ceteris humilior et obedientior fuit, et regem, quem genuit, adoravit. Mus luxuriam significat, quae de humore terrae, idest gulae voluptate, nascitur, quam non tantum sed etiam ipsius odorem beata Virgo fugit, quae etiam ad ingressum angeli expavit. Sic omnes qui caste volunt vivere in Christo Iesu, non tantum murem luxuriae, sed etiam ipsius odorem debent fugere. Nec mirum si debent fugere fornicationem, cum elephas, qui est quasi mons magnus, fugit murem.

4. Unde dicit Dominus per Isaiam: *Perdam Babylonis nomen et reliquias et germen et progeniem (Is 14, 22)*. Vir iustus, Domini nazaraeus, debet perdere *Babylonis*, idest omnimodae luxuriae, *nomen* --- unde: *Recedant vetera de ore vestro (1 Reg 2, 3)*. *Non loquatur, inquit, os meum opera hominum (Ps 16, 4)---*; *et reliquias*, idest luxuriae imaginationes, quae solent remanere post peccatum dimissum; *et germen*, idest oculorum vagam lasciviam. De quo germine dicit Isaias: *De radice colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem (Is 14, 29)*. *De radice colubri*, idest suggestionem diaboli vel consensu mentis, *egredietur regulus*, idest oculus luxuriosus, quia, ut dicit AUGUSTINUS, "impudicus oculus impudici cordis est nuntius"; *et semen eius*, idest verborum mollities, risus petulantia, *absorbens volucrem*, idest virum iustum. Heu! quanti volucres, tam infelici processu et excessu, sunt absorti. Et ideo *progenies*, idest omnis luxuriae circumstantia, debet perdi et exterminari, ut venter, idest mens, esse possit eburnea. Bene ergo dicitur: *Venter eius eburneus, distinctus sapphyris*.

Sapphyrus lapis est aetherei coloris: in domo ubi fuerit daemonium non accedet. In sapphyro caelestis contemplatio designatur: ad mentem quam afficit daemonium non accedit. Et quia semper contemplationi

non est vacandum, ideo dicit distinctum sapphyris, quasi diceret: Non per totum sunt sapphyri, quia nec vitae contemplativae semper est insistendum. Gloriosae Virginis venter fuit eburneus et distinctus sapphyris, quia virginitatis candore, quoad corpus, et contemplationis pulchritudine, quoad animam, praepollebat.

5. Item, cum dicit: *Spiritus Sanctus superveniet in te (Lc 1, 35)*, ecce calor. Nota quod calor est cibus et nutrimentum omnium viventium, quo deficiente, provenit casus et mors. Mors enim est extinctio naturalis caloris in corde, propter defectum humidi et adventum contrarii. Unde nota quod frondium cadentium causa est ablatio ciborum, idest calorum. Cum enim frigus in hiemali tempore extrinsecus arboribus et herbis dominatur, calor, fugiens sibi contrarium, latitat in radicibus, qui, cum ibi augmentetur, a superioribus ramis et extremitatibus humorem sibi trahit funditus, ut multitudo sui caloris temperetur, ne inferiora incendantur. A superioribus ergo, cibo suo fugiente, necesse est frondes cadere. Calor est gratia Spiritus Sancti, quae, si recesserit a corde hominis, humor compunctionis deficit, et sic infelix anima in mortem peccati cadit. Superveniente enim frigore iniquitatis, Spiritus Sancti calor sibi contrarium fugit, et sic anima omnibus bonis spoliatur. Ingressus enim vitii egressum virtutis operatur. Unde in libro Sapientiae: *Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate (Sap 1, 5)*, idest simul rapietur cum omnibus bonis suis, propter supervenientem iniquitatem. Adveniente vero calore, concipit terra et germinat herbam et facit fructum. Sic superveniente Spiritu Sancto, terra benedicta concepit et parturivit fructum benedictum, auferentem omne maledictum. Bene ergo dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te* etc. Fuit ergo beata Maria quasi sol refulgens in angeli Annuntiatione.

6. Item, fuit quasi arcus effulgens in Dei Filii Conceptione. Arcus fit sole intrante in nubem, in qua sunt quattuor colores, scilicet fuliginus, caeruleus, aureus et igneus. Sic, sole iustitiae Dei Filio, hodierna die, intrante in nubem, idest gloriosam Virginem, ipsa Virgo facta est quasi arcus effulgens, signum foederis, pacis et reconciliationis, inter nebulas gloriae, idest inter Deum et peccatores. Unde dicitur in Genesi: *Ponam arcum meum in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me et terram (Gen 9, 13).*

Nota quod duae erant nebulae, ira scilicet Dei et hominis culpa. Deus et homo pugnabant ad invicem. Deus gladio irae, hominem feriendo et in mortem praecipitando; homo gladio culpae, contra Deum mortaliter peccando. Postquam vero sol intravit in Virginem, facta est pax et reconciliatio, quia ipse Dei et Virginis Filius, pro culpa hominis Patri satisfaciens, ipsius iram, ne hominem feriret, refrenavit. Hae nebulae dicuntur gloriae, eo quod per gloriosam Virginem fuerunt dissipatae.

Nota quod in arcus fuligineo colore, beatae Mariae paupertas, in caeruleo humilitas, in aureo caritas, in igneo, cuius flamma gladio scindi vel laedi non potest, incorrupta virginitas designatur. De hoc arcu dicit Ecclesiasticus: *Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo; gyravit caelum in circuitu gloriae suae (Eccli 43, 12-13).* Vide arcum, idest considera pulchritudinem, sanctitatem, dignitatem beatae Mariae, et benedic corde, ore, opere suo Filio, qui eam talem fecit. In splendore enim suae sanctitatis valde est speciosa, prae cunctis filiabus Dei; quae gyravit caelum, idest circumdedit divinitatem, in circuitu gloriae suae, idest gloriosa humanitate.

Eia ergo, Domina nostra, spes unica, supplicamus tibi, ut mentes nostras splendore tuae gratiae illumines,

candore tuae munditiae emundes, calore tuae visitationis calefacias, Filio tuo nos reconcilies, qua ad ipsius gloriae splendorem pervenire mereamur. Ipso praestante, qui Angelo nuntiante, hodierna die, ex te gloriosam carnem assumere et in tuo thalamo novem mensibus voluit habitare, cui honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

## II - De Filio Dei rori comparato

**7. *Ero quasi ros, et Israel quasi liliu germinabit; erumpet radix eius ut Libani. Ibunt rami eius, et erit gloria eius quasi oliva, et odor eius ut Libani (Os 14, 6-7).***

***In die illa stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel (Ioel 3, 18).*** Dies, quae dicitur a *dian*, idest claritate, significat tempus gratiae, in quo *montes*, idest praedicatores, stillant dulcedinem praedicationis; et *colles*, idest praedicatorum auditores, fluunt lac et mel dominicae Incarnationis. Et nota quod dicit: *montes stillant*, quidquid enim praedicant est quasi stilla ad comparationem divinae misericordiae, quae *non ex operibus iustitiae*, iustitia nostra, *salvos nos fecit (Tit 3, 5); et colles fluent*, stilla enim praedicationis suscepta, auditores largiter debent fluere fidem Verbi Incarnati, idest Filii Dei, qui loquitur in Osee, circa finem, sic dicens: *Ero quasi ros etc.*

**8. Filius Dei comparatur rori propter tres proprietates. Ros enim matutino tempore descendit, suaviter cadit, refrigerium in ardore tribuit. Sic enim Filius Dei matutino tempore, scilicet gratiae, descendit in Virginem. Unde dicitur in Exodo: *Mane ros apparuit in solitudine minutum et quasi pilo tonsum*, intellige manna, *et in similitudinem pruinae super terram, gustusque eius quasi similiae cum melle (Ex 16,, 13.14.31).* Solitudo est beata Virgo, de qua dicit Isaias: *Emitte agnum, Domine, non leonem, dominatorem terrae, non vastatorem, de petra deserti*, idest beata Virgine, *ad montem filiae Sion,***

idest Ecclesiae, quae est filia Sion, idest caelestis Ierusalem. Et nota quod beata Virgo dicitur *petra deserti*. *Petra* quia inarabilis, super quam coluber, idest diabolus, colens umbras, ut dicit Salomon, non potuit invenire semitam. Dicitur etiam *deserti*, quia inculta et semine virili non seminata, sed opere Sancti Spiritus impregnata. Dicatur ergo: *Apparuit ros*, idest Filius Dei, *in solitudine*, idest in beata Virgine. Iste fuit manna *minutum* in Conceptione et Nativitate; et, *quasi pilo tonsum*, in Passione, flagellatus virgis, caesus alapis, illitus sputis; *et in similitudine pruinae super terram* in apostolorum praedicatione --- *In omnem, inquit, terram exivit sonus eorum* etc. (Ps 18, 5)---; eritque nobis *gustus* eius dulcis *quasi similiae cum melle*, idest humanitatis cum divinitate, in caelestis patriae beatitudine. Dicat ergo Filius Dei: *Ero quasi ros*, matutino tempore gratiae, descendens in Virginem.

Ero etiam quasi ros suaviter descendens, sicut dicit Propheta: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram (Ps 71, 6)*. Nota quod aliter descendit pluvia, et aliter grando. Pluvia suaviter descendit ad fecunditatem, grando vero cum impetu ad sterilitatem. In primo adventu fuit Christus quasi pluvia descendens in vellus Virginis; in secundo, erit quasi grando, percutiens impios sententia mortis. Unde dicit David: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt* etc. (Ps 148, 8). *Ignis* erit comburens nec consumens, de quo dicitur: *Ite maledicti in ignem aeternum (Mt 25, 41)*; *grando*, percutiens, de qua Ieremias: *Procella irruens super caput impiorum (Cf. Ier 30, 23)*; *nix*, absorbens, de qua Iob: *Qui timet pruinae, idest poenam poenitentiae, cadet super eum nix (Cf. Iob 6, 16) mortis aeternae*; *glacies*, constringens; *spiritus procellarum*, numquam deficiens. Haec erunt *pars calicis*, idest poenae, *eorum (Ps 10, 7)*, qui bibunt de calice aureo Babylonis, idest mundi, qui est in manu meretricis, idest concupiscentiae carnis. Sed Filius Dei in primo

adventu sicut pluvia descendit in vellus. Sicut dicitur in libro Iudicum, quod ros descendit in vellus Gedeonis (Cf. Iudic 6, 37-38). Ibi dicit beatus BERNARDUS: "Filius Dei se totum velleri, idest Virgini, infudit, postmodum siccam aream, idest mundum, rigaturum".

9. Venit ergo Filius, ut vestem sibi faceret laneam ex ove, idest Virgine, quae dicitur ovis propter innocentiam. Haec est nostra Rachel, quae interpretatur ovis, quam invenit verus Iacob iuxta puteum (Cf. Gen 29,10) humilitatis, sicut dicitur in libro Genesi. Vel ovis fuit Adam, de qua dicitur: *Erravi sicut ovis quae periit (Ps 118, 176)*. Dicitur in NATURALIBUS, quod si ex lana ovis a lupo dilaceratae fiat vestis, illa vestis scaturit vermes. Sic lana carnis nostrae ab ove, scilicet primo parente, a diabolo lupo dilacerata, quam contraximus, vermibus primorum motuum scaturit et putrescit. Sed, ut nos Christus mundaret ab inquinamento carnis et spiritus, incorruptam accepit lanam, qualem habuit ovis ante lupi dilacerationem. Unde de ipso dicit Isaias: *Butyrum et mel comedet (Is 7, 15)*. Nota quod ovis duo facit: butyrum et caseum. Butyrum est dulce et pingue, caseus aridus et siccus. Butyrum naturae innocentiam, qualis fuit ante peccatum, significat; caseus poenalitatem et ariditatem, quam habuit post peccatum. *Maledicta, inquit, terra, idest caro, in opere tuo, idest propter opus tuum, idest propter peccatum; spinas et tribulos, idest maiores et minores punctiones, germinabit tibi (Gen 3, 17-18)*. Christus vero non comedit caseum sed butyrum, quia naturam nostram qualem habuit Adam ante peccatum accepit, non qualem habuit post peccatum: accepit enim non tantum saccum, sed meritum sacci; non peccatum, sed poenam peccati.

Fuit etiam apis insidens flori, idest beatæ Virgini in Nazareth, quae interpretatur flos. De hac ape dicit Ecclesiasticus: *Brevis in volatilibus apis et habet initium dulcoris (Eccli 11,3)*. In primo enim adventu habuit mel

misericordiae, in secundo perforabit aculeo iustitiae: *Misericordiam, inquit Propheta, et iudicium cantabo tibi, Domine (Ps 100, 1)*. Ecce habes aperte quomodo descendit suaviter sicut pluvia in vellus.

10. De hac suavitate dicitur in tertio libro Regum: Ecce spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras, sed non in spiritu Dominus. Et post spiritum, commotio; et ibi non fuit Dominus. Et post commotionem, ignis; nec ibi Dominus. Et post ignem, sibilus aurae tenuis; ibi Dominus (Cf. 3 Reg 19, 11-12). In hodierno evangelio habes ista quattuor. Spiritus grandis fuit angelica salutatio, grandia promittens et a Gabriele, qui interpretatur fortitudo, mulieri fortissimae prolata. Haec salutatio subvertit montes superbiae et contrivit petras, idest duritiem mentis humanae. Quattuor quae in hac salutatione reperiuntur, quattuor lapidis sapphyri proprietatibus comparantur. Sapphyrus stellam videtur ostendere, cui proprietati convenit: *Ave, gratia plena (Lc 1, 28)*; aerei est coloris, et huic convenit: *Dominus tecum (Lc l.c.)*; sanguinem restringit, et in hoc concordat: *Benedicta tu in mulieribus (Lc l.c.)*, quae primae maledictionis sanguinem restrinxisti. Item, sapphyrus anthracem necat, et huic proprietati competit: *Benedictus fructus ventris tui (Lc 1, 42)*, qui diabolum interfecit. Bene ergo dicitur: *Ecce spiritus grandis* etc, et ibi non fuit Dominus, idest Verbi Incarnatio. Et post spiritum salutationis, commotio: *Turbata est, inquit, in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio (Lc 1, 29)*; et ibi non fuit Dominus, idest Verbi Incarnatio. Et post commotionem, ignis, idest Spiritus Sancti superventio et virtutis Altissimi obumbratio (Cf. Lc 1, 35); nec ibi fuit Dominus. Et post ignem, sibilus aurae tenuis, scilicet: *Ecce ancilla Domini (Lc 1, 38)*; ibi fuit Dominus, idest Filii Dei Incarnatio. Cum enim dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum (Lc l.c.)*, statim *Verbum caro factum est et habitavit in nobis (Io 1, 14)*.

11. Item, ros refrigerium parat. Sic Filius Dei, humano generi, sub ardore daemoniacaе persecutionis posito, infundit aquam frigidam, de qua dicit Salomon: *Aqua frigida animae sitiēti; nuntius bonus de terra longinqua (Prov 25, 25)*. Nuntius bonus bona nuntians fuit Iesus Christus, qui aquam frigidam suae Incarnationis animae Adae et eius posteritati, in ardore gehennae sitiēti, largiter infudit, cum eas de lacu, in quo non erat aqua refrigerii, ut dicit Zacharias, eduxit in sanguine testamenti sui (Cf. Zach 9, 11). Dicit ergo Filius in Osee: *Ero quasi ros*, matutino tempore suaviter descendens et refrigerium praestans.

Sequitur: *Israel quasi liliū germinabit*. Israel, qui interpretatur videns Deum, est beata Maria, quae vidit Deum, utpote quem nutriebat in sinu, uberibus lactabat, in Aegyptum ferebat. Haec in descensu roris germinavit quasi liliū, cuius radix medicinalis est, stipes solidus et erectus, cuius flos candidus, labium habens repansum. Radix Virginis fuit humilitas, tumorem superbiae reprimens, cuius stipes fuit solidus per temporalium abdicationem, erectus per supernorum contemplationem, flos candidus per virginitatis albedinem. Haec fuit liliū repansum, radicem respiciens, cum dixit: *Ecce ancilla Domini* etc. Istud liliū germinavit, cum, illaeso flore virginitatis, parturivit Filium Dei Patris. Sicut liliū non perdit florem, eo quod respirat odorem, sic beata Virgo virginitatis non perdidit florem, eo quod peperit Salvatorem.

Sequitur: *Erumpet radix eius ut Libani. Ibunt rami eius*. Radix liliī est intentio cordis, quae si fuerit simplex--- ut dicit Dominus: *Si oculus tuus*, idest intentio cordis tui, *fuerit simplex---*, idest sine plica fraudis, *ibunt rami eius*, quia crescunt in altum opera eius, et sic *totum corpus tuum*, idest opus sequens, *lucidum erit (Lc l.c.)*. Fuit siquidem radix, intentio beatae Virginis, purissima et odorifera, ex qua rami operationum, directi et in altum

crescentes, processerunt. Et nota quod radix intentionis dicitur esse Libani, quia ex puritate intentionis procedit thus, odor bonae opinionis.

**Sequitur: *Et erit gloria eius quasi oliva*, quae pacem et misericordiam significat. Beata enim Virgo Maria, mediatrix nostra, inter Deum et peccatorem pacem reformavit. Unde de ea dicitur in Genesi: *Ponam arcum meum in nubibus caeli* etc. (Gen 9, 13). Arcus est bicolor, aquaeus scilicet et igneus. In aqua, quae omnia nutrit, fecunditas; in igne, cuius flamma gladio laedi non potest, beatæ Mariae inviolabilis virginitas designatur. Hoc est signum foederis et pacis inter Deum et peccatorem. Est etiam oliva misericordiae. Unde dicit beatus BERNARDUS: "Securum habes, homo, accessum ad Deum, ubi habes matrem ante filium, et filium ante patrem. Mater ostendit filio pectus et ubera, filius ostendit patri latus et vulnera. Nulla ergo ibi erit repulsa, ubi tot occurrunt insignia caritatis.**

**Sequitur: *Et odor eius ut Libani*. Libanus interpretatur candidatio, et significat innocentis vitae beatæ Mariae candorem, cuius odor circumquaque diffusus, mortuis vitam, desperatis veniam, poenitentibus gratiam, iustis gloriam respirat.**

**Ipsius ergo precibus et meritis, ros Spiritus Sancti mentis nostrae ardorem refrigeret, peccata dimittat, gratiam infundat, ut ad aeternae et immortalis vitae gloriam pervenire mereamur. Ipso praestante.**

### **III - De Nativitate Domini**

**12. *Quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae (Eccli 50, 8).***

**Dicit Ecclesiasticus: *Quasi rosae plantatae super rivos aquarum fructificate; quasi Libanus odorem***

***suavitatis habete. Florete flores, quasi liliū date odorem, et frondete in gratiam (Eccli 39, 17-19).*** In hac auctoritate tria notantur, scilicet lacrimarum abundantia, orationis instantia et vitae munditia. Rosae sunt fidelium animae, sanguine Iesu Christi rubricatae, quae debent plantari super rivos aquarum, idest fluenta lacrimarum, ut valeant fructificare dignum fructum poenitentiae. Debent etiam, quasi Libanus, habere thus devotae orationis, in odorem suavitatis. Et quasi liliū, vitae munditiae candidae, debent dare odorem bonae famae et frondere in gratiarum actione. Haec si animae fidelium habuerint, digne se praesentare poterunt hodiernae festivitati, Nativitati scilicet Domini, partui beatae Virginis, de qua dicitur: ***Quasi flos rosarum in diebus vernis etc.***

**13. Gloriosae Virginis partus rosae et lilio comparatur, quia sicut ista suavissimum spirando odorem, eorum flos non corrumpitur, sic beata Maria, Dei Filium parturiendo, Virgo permansit. Unde, quando eum Virgo parturiebat, Pater dicere poterat quod dixit Isaac Iacob, in Genesi: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (Gen 27, 27).*** Nativitas Iesu Christi fuit quasi odor agri floribus pleni, quia illaesum maternae virginitatis florem custodivit, cum ab ipsa processit. Ager etiam rosis et liliis plenus fuit beata Virgo, cui benedixit Dominus. Unde: ***Benedicta tu in mulieribus (Lc 1, 28).*** Nota quod, beata Maria turbata est, cum audivit se benedici in mulieribus, quae in virginibus benedici semper optaverat; et ideo ***cogitabat qualis esset ista salutatio (Lc 1, 29),*** quae ab initio videbatur esse suspecta. Et, ut in promissione Filii manifestum apparuit, virginitatis periculum ultra dissimulare non potuit, quin diceret: ***Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (Lc 1, 34),*** idest non cognoscere proposui. Vel forsitan ob hoc turbata esse dicitur, quod talem se audiebat praedicari qualis sibi minime videbatur. Rara siquidem virtus: manifestam tuam te solum latere sanctitatem. Contra quod dicit beatus BERNARDUS: "Tu te depretiaris in occulto,

veritatis trutina ponderatus, et foris alterius te pretii mentiens, maiori pondere vendis nobis, quam ipse accepisti”.

De huius ergo Virginis partu virgineo dicamus: *Quasi flos rosarum in diebus vernis*. "Ver dictum, quod viret. Tunc enim tellus herbis vestitur, diversis floribus picturatur, temperies aeris redditur, aves citharizant et omnia ridere videntur. Gratias tibi referimus, Pater sancte, quia media hieme, mediis frigoribus, vernum tempus nobis fecisti. In hac enim Nativitate Filii tui, Iesu benedicti, quae media hieme et mediis frigoribus celebratur, vernum tempus, omni amoenitate plenum, nobis fecisti. Hodie Virgo, terra benedicta, cui benedixit Dominus, herbam virentem, pabulum poenitentium, parturivit, idest Dei Filium. Hodie picturatur floribus rosarum et liliis convallium. Hodie citharizant angeli: *Gloria in excelsis Deo (Lc 2, 14)*. Hodie pacis tranquillitas in terris reformatur. Quid plura? Omnia rident, omnia gaudent. Unde hodie dixit pastoribus Angelus: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio (Lc 2, 1012)*.

14. Attendite, carissimi, quod pecorum pastoribus apparet Angelus, quia, ut dicit Salomon, *cum simplicibus sermocinatio eius (Prov 3, 32)*. Qui simplicium et innocentium cogitationum gregem custodiunt, ab Angelo audiunt: *Hoc vobis signum, quo vos consignetis; invenietis infantem, ecce humilitas; positum in praesepio, non ad ubera matris, ecce abstinentia; pannis involutum, ecce paupertas. Hoc signo Deus Pater signavit Filium et misit in mundum. Hoc signo vos consignate: Invenietis, inquit, infantem, idest non fantem. Vere non fans fuit, quia coram se, non dico tondente, sed tondente et occidente, obmutuit et non aperuit os suum (Cf. Is 53, 7)*.

***Invenietis ergo infantem. Vere infans, qui modo silet, peccata hominum dissimulans; et, quia se non vindicat, peccatores credunt quod non videat. Unde conqueritur Dominus in Isaia: Mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es. Ego annuntiabo iustitiam tuam (Is 57, 11-12), et reddam tibi iuste secundum opera tua (Cf. Prov 24, 29). De quibus subdit: Et opera tua non proderunt tibi (Is 57, 12).***

***Invenietis ergo infantem. Heu! heu! non infantem sed latrantem et detrahentem, murmurantem et adulantem, ubicumque me verto, invenio; et tu dicis: Invenietis infantem? Fantem invenio, qui os suum ponit in caelum, et lingua eius transit in terram (Cf. Ps 72, 9), idest, nec iusto nec peccatori parcit in detrahendo. Fantem invenio, qui dicit bonum malum et malum bonum, ponens tenebras lucem et lucem tenebras, amarum in dulce et dulce in amarum (Cf. Is 5, 20).***

**Sequitur: *Positum in praesepio.* Omnes fere, tamquam pulli asinarum, a posterioribus sugunt ubera, gulae scilicet et luxuriae. Dominus reclinatus fuit in praesepio, et isti ad ubera fornicariae et meretricis magnae, quae de vino prostitutionis suae inebriavit habitantes super terram (Cf. Apoc 17, 1-2), suspenduntur, in animae suae dispendio, in gehenna suspendendi dispendio.**

***Invenietis inquit, pannis involutum. Pannis, non pellibus, quibus fuerunt induti primi parentes, de paradiso eiecti. Qui pellibus vestiuntur, in domibus daemonum. Pelles a pellendo, idest detrahendo dictae; inde dicitur pellex. Pellex, idest meretrix, a pelliciendo, eo quod pelle, idest pulchritudine sua, viros decipiat. Pellicere, idest blandiendo elicere. Lecatores [idest lenones] et meretrices pellibus vestiuntur, quia in exteriori pelle gloriantur. Quid dicam de nostri temporis***

effeminatis praelatis, qui tamquam feminae, nuptui tradendae, poliuntur, pellibus variis vestiuntur, quorum excessus in sellis depictis, equorum phaleris et calcaribus, quae Christi rubent sanguine? Ecce quibus hodie committitur sponsa Christi, qui pannis fuit involutus, praesepio reclinatus; et isti in lectis eburneis lasciviunt, pellibus se induunt. Elias et Ioannes habebant zonam pelliceam circa lumbos. O pelles, dierum malorum inveteratae (Cf. 13, 52), si vultis habere pellem, habeatis zonam, non tunicam pelliceam; et hoc circa lumbos, ut vestri corporis pellem mortificetis. Pellem pro pelle, inquit Iob, dabit homo (Cf. Iob 2, 4). Mortificate pellem corporis morituri, ut ipsam glorificatam recipiatis in resurrectione generali. O Ecclesiae pastores, hoc vobis signum: *Invenietis infantem* etc. Istius infantis humilitatis et abstinentiae signo, ipsius aureae paupertatis sigillo, vos consignate, qui de ipsius vivitis patrimonio.

15. Dicamus ergo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis*. Nota quod, sicut in vere, idest martio, Deus fecit mundum, sic in sui Filii Nativitate fecit quendam mundum novum, omnia innovantem. Prima die dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux (Gen 1, 3)*. Et hodie Verbum Patris, per quod omnia sunt facta, caro factum est (Cf. Io 1, 3.14). Ista lux, quae dixit: *Fiat lux*, hodie facta est. Unde de ea hodie cantatur in MISSA DE LUCE: "Lux fulgebit etc" (Introitus; Cf. Is 9, 26).

Nota quod, in hac die tres cantantur missae: MISSA DE NOCTE, in qua cantatur: *Dominus dixit ad me (Ps 2, 7)*, occultam divinitatis generationem, quam nemo potest enarrare, repraesentat; MISSA DE LUCE, hodiernam de Matre generationem; MISSA DE TERTIA, Matris et Patris simul generationem repraesentat. Unde in ipsius introitu cantatur: *Puer natus est nobis (Introitus; Cf. Is 9, 6)*, quod spectat ad generationem de Matre; et legitur evangelium: *In principio erat Verbum (Io 1, 1)*, quod spectat ad generationem de Patre. Ideo prima missa

cantatur in nocte, quia illa de Patre generatio, nobis ipsam credentibus, est occulta. Secunda missa summo mane tempestive ideo celebratur, quia generatio de Matre nobis fuit visibilis et tamen quasi quodam nubilo respersa. Quis enim potest solvere corrigiam calceamenti eius, idest investigare sacramentum Incarnationis eius? Tertia missa ideo cantatur clara die, quia in die aeternitatis, cum praeteribit omnis obscuritas, clare cognoscemus qualiter de Patre, qualiter de Matre Iesus Christus sit genitus. Tunc enim scientem omnia sciemus, quia oculo ad oculum videbimus et sicut ipse est erimus. Bene ergo dicitur: *Quasi ros in diebus vernis.*

16. Sequitur: *Quasi lilia, quae sunt in transitu aquae.* Nota quod lilium de inculta terra nascitur, in convallibus oritur, odoriferum est, candidum, clausum continet odorem, apertum effundit; sex habet folia, virgulas aureas et stipitem habet in medio; membris medetur adustis. Lilium dictum, quasi lacteum, beatam Virginem significat, virginitatis splendore candidam, quae de castis et humilibus parentibus, Ioachim, qui interpretatur consurgens, et Anna, quae interpretatur gratia, est orta. Haec hodie Dei Filium parturivit sicut lilium odorem effundit. Sex habet folia, de quibus quaere in secunda clausula evangelii: *Cum turbae irruerent ad Iesum, ubi loquitur de sex gradibus throni Salomonis.* Virgulae aureae in lilio sunt paupertas et humilitas in Maria, quibus ipsius virginitas fuit decorata. Stipes in medio lili fuit excellentia divini amoris in corde beatae Virginis. Haec est medicina peccatorum, qui in igne vitiorum sunt adusti.

De quibus dicit Ioael: *Omnes vultus eorum redigentur in ollam (Ioael 2, 6).* Olla est vas ad coquendum, dicta, quod debulliat in ea aqua, igne subiecto, et vapor emittatur. Unde et bulla dicitur, quae in aqua venti spiritu intus sustentatur. Olla est mens peccatoris, in qua est aqua concupiscentiae, emittens bullas cogitationis

**perversae, supposito igne suggestionis diabolicae. Ex hac olla procedit fumus pravi consensus, quo excaecatur animae oculus, et sic nigredinem contrahit mens peccatoris. Vultus dictus, quod per eum animi voluntas ostenditur, et significat Opera, quibus homo cognoscitur. Vultus ergo peccatorum in ollam rediguntur, cum ex nigredine mentis opera coinquinantur. Hanc nigredinem et adustionem beata Maria, suae sanctitatis medicinali candore, aufert, et in se sperantibus omnimodam confert sanitatem.**

**Dicamus ergo: *Quasi lilia in transitu aquae*, quasi diceret: Sicut lilia in viriditate, pulchritudine et odore perdurant iuxta transitum aquae, sic beata Maria, cum Filium parturivit, in viriditate et pulchritudine virginitatis permansit.**

**Rogamus ergo te, Domina nostra, Dei Mater alma, ut in hac Nativitate Filii tui, quem virgo peperisti, pannis involvisti, praesepio reclinasti, indulgentiam nobis ab ipso impetres, adustionem animae nostrae, quam ex igne peccati contraximus, tuae misericordiae emplastro sanes, qua ad aeternae festivitatis gaudium pervenire mereamur. Ipso praestante, qui ex te, gloriosa Virgine, hodie nasci dignatus est, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.**